

Crescet electorum gloria, si per immanem injuriam in hoc sæculo vexati et depressi fuerunt; cum illis ablatus honor ibi restituatur, uti contigit Danieli, cum e lacu leonum incolumis extractus est, tanto majori gloria, quanto majore prius confusione iniectus fuit: quando et ipsius loco accusatores ejus in lacum detrusi et in momento a leonibus discerpti sunt. Idem patet in Susanna, cum se divino calculo absolutam, suos vero criminatores duci vidit. Simile quid contigit S. Luciae, cum Paschasium præfectum Siciliae, a quo tam inique habita, ad lupanar duci jussa, rogo cincta, demum gladio transfixa, adhuc spirans vidit accusatum a civibus de oppressa provincia, vinctum et captivum juxta se abduci ad senatum Rom. ut ibi puniretur ob rempublicam male administratam; ut in ejus vita Sur. XIII. Dec.

Augebitur eadem gloria, cum ipsi suos hostes ad pedes suos prostratos aspicient, sibi que palinodiam cantantes audient. Qualis gloria Mardochei fuit, quando Aman hostis ejus infensissimus ipsum in equo regio circumducere et proclamare debuit: Sic honorabitur Mardocheus quia rex sic vult? Simili modo dicent impii: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, etc. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei!* Sap. V. Ecce palinodiam. Quanta styli mutatio! Contempserat Othocarus Bohemiae rex Rudolphum Habsburgicum imperatorem olim curiae suae magistrum, ridens ejus griseum ac vile vestimentum, insuper ei bellum movit; sed victus ab eo captusque est, nec prius regno suo restitutus, quam publicum ei homagium genu flexus deferret, quod cum is ægre sed coactus tandem subire quidem, privatim tamen in insula Kamberg inter Danubium sub tabernaculo vellet, jamque prostratus ad pedes Rudolphi jaceret, repente tentorium dejectum in quatuor partes dissiliit, ut coram totis duobus exercitibus conspiceretur rex jacere supplex ad pedes Rudolphi, olim servi sui. Quæ certe magna Rudolphi gloria, Othocaro ignominia fuit. Dubrau in hist. Bohem. et Lipsius in Monitis polit. Noluit tunc Rudolphus aliam vestem induere nisi griseum suam, dicens: *Sæpe irrisit griseum meam vestem, nunc mea vestis irridebit ipsum.* Simile quid continget electis in judicio quibus a Deo dicitur, quod Josue cap. X. mandavit principibus Israelitici populi de captivis regibus: *Ile et ponite pedes super colla regum istorum.*

III. Ob resumpti corporis gloriam, unde fiet, ut duplicetur eorum beatitudo, dum anima glorificata Deum corpore Christum in gloria videbunt, ac sicut pro objecto beatitudinis suæ habet anima Deum, sic corpus habeat Christum velut hominem. Ibi ergo si cui membrum aliud quod ademptum fuit integrum restituatur: si

quis morbo et male affecto corpore fuit, recipiet sanum: juxta id Isaia XL. *Mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, current et non laborabunt et non deficiet.* Quod confirmat Christus Matth. XXIV. inquit: *Ubi est corpus ibi congregabuntur et aquilæ.* Novas ergo quasi pennas novi corporis accipient, delectabuntur aspectu solis justitiæ, Christi: volabunt dote agilitatis, quaquaversum cupient: penetrabunt omnia: fulgebunt instar solis: mori et pati aliquid non poterunt. Quantum ibi solatium erit electis, carnem suam hic in servitum rede-gisse! Qui enim simul laborarunt, sudarunt, alserunt, simul præmiabuntur. Hæc spe solabatur se S. Job cap. XIX. *Rursum circumdabor pelle mea, inquit, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum.* Quasi diceret: detracta mihi quidem a dæmone fuit pellis mea, sed ea rursum circumdabor: videbo oculis meis, quod prius videre non potui, Christum: id quod etiam avide semper tota vita expectavit. Unde c. XIV. ait: *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Eodem modo tertius ille ex septem fratribus Machabæis, cum manus et pedes abscinderentur, cutis capitis cum capillis abstraheretur, jamque linguam abscindendam proferre postularetur, ait: *E caelo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio: quoniam ab ipso me ea recepturum spero,* Macch. VII. Atque hinc dies illa vocatur a S. Petro Act. III. Dies restitutionis omnium.

Specimen hujus restitutionis, ad nos omnes confirmandos, edere et S. Eustachio martyri exhibere Deus voluit, cum ei rebus omnibus spoliato (uxorem nauta per vim abstulerat, filium unum leo, alterum lupa rapuerat, pecora pestis tulerat) adeoque jam rusticam pauperemque vitam agentis oblata est occasio a Trajano imper. rursum militandi et nobilem victoriam parandi; qua parta cum Romam victor ingredi pararet, et juxta vicum castra poneret, reperit insperate uxorem suam, mox etiam duos filios suos, quos ignotos in militiam suam, conscripserat; sicque cum ingenti gaudio, opibus, ac splendore una cum iis Romam victor ingreditur maximo imperatoris et urbis applausu: ut in ejus vita Metaph. XX. Sept. Quia vero Hadrianus Trajano successerat, qui Eustachium ad idola colenda compellebat, rursus vir sanctus per martyrium tauri ænei, vita, uxore et liberis spoliari debuit, quo nimium agnosceret priorem illam fortunæ rotationem solummodo præludium fuisse illius mutationis, quæ in die judicii ipsum expectabat.

Quare auditores bono animo estote: quidquid vobis ademptum fuerit, scitote in die restitutionis omnium magno cum lucro vobis restituendum: sive famam, sive membrum, sive pecuniam, sive liberos aut amicos, sive aliud

quid. Nemo indigne ferat, si nihil eorum hic recipiat: retribuetur enim cum gloria immensa et ingenti fenore in resurrectione justorum.

Atque hæc sunt ficus illæ valde bonæ, electi scilicet, gaudiorum dulcedine replendi et obruendi in die illa, quam proinde summo cum desiderio quotidie expectant, et dicunt cum Davide Psal. XLI. *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei.*

## CONCIO III.

SENTENTIA DAMNATIONIS FULMINIS SIMILIS.

I. Quia feriet reprobos, illæsis electis.—II. Obstupesciet reprobos.—III. Diversis modis sæviet in reprobos.—IV. Fœtorem contrahent.—V. Ita tanget eos ut semivivos.

## THEMA.

Erunt signa in sole, Luc. XXI.

Non solum in hoc, quem videmus, sole signa erunt in novissimis diebus, sed etiam in illo sole justitiæ, Christo, cum ad judicandum venturus est. Talia enim in ipso vidit Joan. Apoc. I. per visionem sibi ostensam: facies ejus sicut sol erat in meridie, oculi sicut flammæ ignis, vox tamquam aquarum multarum, et ex ore ejus procedebat gladius utraque parte acutus, qui aliud non est nisi sententia illa terribilis in impios vibranda: *Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Quam etiam in spiritu prævidit et vaticinatus est Moyses Deut. XXXII. illis verbis: *Si acvero ut fulgur gladium meum et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis et his qui oderunt me, retribuam. Sagittas meas inebriabo sanguine, et gladius meus devorabit carnes.* Diximus ante octiduum adventum illum Christi fulguri similem futurum. Nunc videamus eundem fulminantem, seu damnationis sententiam velut fulmen in reprobos ejaculantem.

I. Fulmen sæpe ferit aliquos, proxime astantibus prorsus illæsis. Id contigit in vita S. Malachia apud divum Bernardum, quando impii tres cum suo antesignano, qui S. Malachia episcopi inaugurationi obsliterant, eique et regi ipsi necem machinabantur, repente orta terribili tempestate, fulmine tacti interiorerunt, eorumque corpora semiusta ventus abripuit, atque in densas ramis arb. ores elevata deposuit, Malachia ejusque sociis proxime astantibus, et ne minimum quidem læsis. Pari modo sententia judicis universalis feriet solos reprobos, et separabit eos e medio electorum, quibus nihil mali inferet, quinimo incolumitatem præstabit et salutem, juxta id Matth. XXIV. *Duo erunt in agro, unus assumetur et unus relinquetur; dua molentes in molendino, una assumetur, una*

*relinquetur.* Et paulo post venit: *Dominus ejus et dividet eum.* Et cap. XXV. *Separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis.* Sæpe ex eadem domo, mensa, lecto, unus assumetur ad gloriam, alter relinquetur ad damnationem. Sub Pogiebradio rege Bohemiae, ex uno eodemque carcere ducti sunt duo fratres, Ladislaus et Matthias Joan. Humadis Paladini Hungariae filii. Quorum unus Ladislaus capite plexus, qui regnum sperabat; alter Matthias qui necem expectabat, ad regnum Hungariae capessendum dimissus est. Æn. Silv. in Europa c. I. Bonfin. I. IX. dec. III. Idem multis continget in judicio: ex eodem cœmeterio vel etiam sepulcro unus evolabit velut aquila ad Christi judicis dexteram et palmam: alter extrahetur velut carcinoma fœtidum et projicietur ad sinistram et gladium. Cogitate jam quanto mœrore divellentur ab invicem charissimi conjuges, parentes a filiis, fratres a fratribus! Si enim per temporalem mortem tanto cum dolore divelli eos videmus et in nobis experimur; quid erit separari in æternum per immensum chaos? Turci victo Michaelis Palæologi imp. exercitu prædam virorum ac mulierum, aliarumque rerum coegerunt, atque inter se diviserunt. Inter cætera duæ adolescentulæ sorores erant, quæ cum divellendæ essent, quod non eidem domino sorte obvenissent, altera alteram intuens, cum lacrymis et ejulatibus omnia implevissent, in mutuo denique amplexu expirarunt; quasi natura corpora non prius quam animas separari pateretur. Refert Gregorius lib. III. Colligite hinc quid doloris allatura sit in judicio separatio charissimorum ad tam disparia loca, ad cælum et in infernum.

II. Fulmen eos quos tangit, communiter stupefacit et sensibus privat. In vita sancti Galli lib. II. XXVI. legimus quemdam fulmine tactum, surdum, mutum et cæcum factum, omnique membrorum usu destitutum fuisse. Simili modo sententia illa attonitos reddet improbos. E primo efficiet illos cæcos; quia gloriam Christi et sanctorum aspicere non audebunt, sed *Dicent montibus, Cadite super nos, et collibus, Operite nos, a facie sedentis super thronum.* Et secundum Isaiam cap. II. *Introbunt in cavernas petrarum a facie formidinis Domini.* Si enim Daniel divinis visionibus assuetus cecidit in faciem coram apparente sibi angelo (Dan. X.) ut nil haberet virum: et si Joannes apostolus ante Christum judicem, per typum tantummodo conspectum, prolapsus est ad pedes ejus velut mortuus, Apoc. I. quomodo stabunt impii coram Christo infenso sibi judice?

Secundo mutos, quia defendere se non pote-

runt convicti a tot testibus : quomodo ille in nuptiali convivio deprehensus et interrogatus : *Amice quomodo huc intrasti ?* obmutuit. Quid dicent cum appellabit eos inimicos : quando multa peccatorum millia eis objiciet. Hinc exclamat Zach. c. II. *Sileat terra a facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo*, ad judicandum scilicet orbem. Et quidem jure ; quia enim hic iniqui presserunt ora justorum ; ideo premia sunt ibi ora iniquorum. Unde Eccl. XIII. dicitur. *Dives injuste egit et fremet : pauper autem laesus tacebit*, h. e. dives opprimit pauperem et insuper ei comminabitur aut insultabit, pauper silere cogetur ; verum in die judicii vertet se rota, et obstruet os diviti, pauperi ad loquendum aperiet. Fratres Josephi agnito fratre suo tam graviter offenso, *Non poterant ei respondere, nimio terrore perterriti*, Gen. XLV. Viderunt enim ex una parte ejus potentiam et majestatem, ex altera suam imbecillitatem, iniquitatem et offensam. Prius ipsi fratrem minime audierunt, cum deprecaretur eos, tacere debuit Joseph ; nunc ipsi obmutescunt fratre loquente et in eos tonante. Quid dicent mali Christo, quem non semel vendiderunt, sed centies et millies ! *Disrumpet illos inflatos sine voce*, ait Sap. IV. Gr. *Mutos et promos* ; præ timore ac pudore, ut ait Janse-  
nius.

Tertio, surdos, quia obturabunt aures suas, ne vocem judicis increpantis et beneficia collata sibi exprobrantis, necnon vocem accusatorum suorum audiant. Si enim perfidi Judæi obturarunt aures suas, Stephano Christum ejusque gloriam in cælo a se visam prædicante : *Ecce video Filium hominis stantem a dextris Dei* ; quomodo impii non obstruent aures, cum universa cæli militia ejus gloriam et ipsorum nequitiam proclamabit, dicens : *Justus es Domine, qui eras sanctus, qui hæc judicasti quia sanguinem sanctorum et Prophetarum effuderunt : et sanguinem dedisti eis bibere, digni enim sunt*. Apoc. XVI.

Quarto, omni membrorum usu destitutos, quia nec pro se orare, nec sanctus invocare, nec amplius quid mereri aut impetrare poterunt : multo minus resistere, aut a pœnis se eximere. Et hoc etiam justissime. *Tunc enim ligat pœna*, ait S. Greg. hom. XXXVIII. in Evangelium, *quos modo a bonis operibus ligavit culpa. Qui ergo nunc sponte ligantur in vitio, tunc in supplicio ligantur invitati*.

III. Fulmen, non eodem modo omnem materiam vexat, (ait Seneca lib. II. nat. quæst. c. LII) valentiora, quia resistunt ; vehementius dissipat, cedentia nonnunquam sine injuria transit. Cum lapide ferroque et durissimis

quibusque confligit ; quia viam necesse est per illa impetu quærat. Itaque facit viam qua effugiat, teneris et rarioribus parcat, quamquam et flammis opportuna videantur : quia transitu patente minus sævit. Loculis itaque ut dixi, integris, pecunia, quæ in his fuerat conflata reperitur, quia ignis tenuissimus per occulta foramina transcurrit. Quidquid autem in ligno solidum invenit, ut contumax vincit. Non uno autem, ut dixi, modo sævit : sed quid quæque vis fecerit ex ipso genere injuriæ intelligis, et fulmen opere cognoscit. Interdum in eadem materia multa diversa ejusdem vis fulminis facit : sicut in arbore, quod aridissimum est, urit. quod solidissimum est et durissimum, terebrat et frangit : summos cortices dissipat ; interiores libros interioris arboris rumpit ac scindit, folia perfundit ac stringit : vinum gelat, ferrum et æs scindit. Pari modo fulmen extremi judicii non eandem vim exeret in omnes. Nam Sap. VI. dicitur : *Horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his, qui presunt stet. Exiguo enim* (h. e. aupperi et humili,) *conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur*. Ergo imprimis qui in vita cedere Deo, ejusque voluntati, necnon et hominibus per mansuetudinem et humilitatem noverunt, nihil patientur a tremendo judicis fulmine. Id patet in mitissimo illo Moyse, quem minime tetigit plaga debiscens terræ, cum vicissim dura illa et rebellia capita, Core, Dathan et Abiron repente devoravit, Num. XVI. Idem confirmat Eccles. c. III. dicens : *Cor durum habebit male in novissimo*. Tale est, quod nec cedit divinæ voluntati : nec emollitur ad miseriam et preces pauperum. Hujusmodi cor qui habent, ut a suis ædibus et conspectu discedere jubeant pauperes, vacuos et famelicos ; audient et ipsi in judicio : *Discedite a me maledicti in ignem æternum. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare, etc.* Matth. XXV. Vicissim qui Dei voluntati cedunt, et ad preces pauperum facile flectuntur, non habent unde sibi a fulmine illo metuant. Quemadmodum enim pontificia excommunicatio (quæ propterea bene *Fulmen* appellatur) in neminem vibratur, nisi in contumaces et refractarios, ita et sententia Christi judicis non nisi duos et refractarios tanget. Ipse Holophernes dux exercitus Nabuchodonosoris protestatus est : *Ego nunquam nocui viro, qui voluit servire Nabuchodonosori regi*, Jud. XI. Pari modo fulmen illud nemini nocebit, qui Christo regi servire voluerit. Quos itaque tanget ac confringet ? Non nisi elatos et contumaces, qui contra Deum incedunt erecto collo et dicunt : *Non serviam* ; quemadmodum etiam tangunt summos fulmina montes ; uti

sensit Pharaos, Saul, Achab, Antiochus, Julianus imp. etc.

IV. Fulmine tacta corpora tetrum et sulphureum odorem spirant, teste Plin. et Senec. loc. cit. ita fulminati sententia judicis Christi fœtorem intolerabilem et indelebilem contrahent : (hinc reprobi ob fœtorem, condemnandi in die judicii, appellantur a Christo fœdi, Matth. XXV.) ita ut Deus, angeli et electi omnes horrorem erga eos concepturi sint per omnem æternitatem, juxta id Isaïæ XXXIV. *Interfecti eorum projicientur, et de cadaveribus eorum ascendet fœtor : tabescent montes a sanguine eorum*. Loquitur propheta ad litteram de consummatione mundi et ultimo exterminio. Igitur in die judicii erit strages impiorum, quasi immensi alicujus exercitus, adeoque ex eorum corporibus horridis intolerabilis fœtor prodibit, ita ut ab eorum conspectu nares, ut sic dicam, elausuri sint ; montes, hoc est, angeli et omnes sancti, adeoque ipse Deus vultum suum ab eis aversurus sit, nec ullo gratiæ aspectu eos dignaturus amplius. Idem exprimit Joannes Apocalyps. XIV. per fumum ignis tartarei, dicens : *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum*. Non videtur in inferno verus esse fumus, quia nihil ibi corruptibile, ut ubi observat Cornelius. Est ergo moralis fumus ; quia uti fumus expellit habitatores ex ædibus, ita fœtor et horror damnatorum fugabit electos, adeoque ipsum quasi Deum ; ita videlicet ut nulla eorum commiseratione tangantur per omnem æternitatem nec sancti pro eis rogare, nec Deus inferorum preces audire velit. Typum eorum habemus in Amane, cujus pessimo odore percepto ex ore Estheris rex Assuerus surrexit de loco convivii et intravit in hortum, Esth. VII. ne videlicet Amanem aspiceret amplius, aut veniam rogantem audiret. Similiter enim pronuntiata in impios sententia Christus cum electis suis in hortum deliciarum suarum discedet, et ab eis se abscondet ; quia *Mundi sunt oculi, ut videas malum*, ait Habacuc cap. I.

V. Fulmen ita sæpe ferit hominem, ut non omnino enecat, sed miserum tota vita efficiat, uti memini me vidisse. Et hoc in solo homine facit : (licet sæpe eum omnino perimat) alia animalia cum tangit, semper occidit, ut scribit Plinius. Pari modo sententia illa ita tanget reprobos, ut non omnino extinguat, sed semivivos et semimortuos æterno igne cruciet. Mactabit enim eorum animas, ut ad vitam animæ recuperandam nullam habere spem queant : vivificabit eorum corpora, ita ut in pœnis perpetuo vivant et confecta renascantur. Inferet eis mortem quasi viventem, quæ continuo eos voret et depabuletur, teste Ps. XLVIII. *Sicut*

*oves in inferno positi sunt : mors depascet eos*. In quem locum, « Dictum est hoc, (ait Innocentius Papa cap. IX.) a similitudine jumentorum, quæ non evellunt herbas radicitus, sed solummodo summitates carpunt, ut iterum herbæ renascantur ad pastum : sic et impii quasi morte pasti reviviscunt ad vitam, etc. » Similie fulmen de cælo a sancto vigile delatum fuit in regem Nabuchodonosor : *Succidite arborem, verumtamen germen radicem ejus in terra sinite, et alligetur vinculo ferreo*, Dan. IV. indicans regem dementia feriendum, et e regno ejectum in silvis inter feras miseriam vitam acturum, morte ipsa deteriore.

Reliquum est, auditores, ut sibi quisque attendat omni sollicitudine, ne extremo illo fulmine, sero sapiens feriat. Certe si quis coram humano iudice causam capitis sui agat, trepidare totus incipit cum sententia pronuntianda est ; quia scilicet caput ejus petit. Quid erit expectare et audire sententiam ultimi illius ac divini judicis, mortis supplicia nunquam finienda pronuntiantem ? *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter* : ait Elias in lib. Job. cap. XXXVII. Nec tonabit solum, sed etiam fulminabit, uti ipse Job cap. XLI. testatur : *Mittel contra eum fulmina, et ad alium locum non ferentur*, q. d. in quemcumque scopum collimaverit, cum certissime feriet nec unum pro altero tanget, uti solent jacula hominum sæpe aberrare. Quantus igitur terror occupabit ibi reprobos ? Scimus Anastasium imp. hæreticum et impium cum ex oraculo didicisset pereundum sibi fulmine ad evitandum illud, certum sibi ædificium construxisse, in tempestatibus de cubili in cubile tremebundum commigrasse ; uti refert : Zonaras lib. III. et alii. Scimus regem Baltasarem (sic vocabatur : non Balthasar, ut patet ex Chaldæo et Latinis Plantin.) ad scripturam tribus digitis in pariete exaratam, toto corpore contremuisse, expavisse et expalluisse : Dan. V. *Quid non sustinisset*, inquit super hoc Theodoretus, *Deo infestus, si fulmina conspexisset, aut angelos torveintuentes ?* Quid si non angelos, sed Deum ipsi mille fulmina ejaculantem ? Mitissimus sane fuit Christus ambulans in carne, et mansuetissima illa voce : *Ego sum*, obviam prodit cohorti : ea tamen voce ita perculit milites, ut retrorsum acti terræ alliderentur, Joan. XVIII. Ex quo facto argumentans S. August. in Joan. ait : *Quid judicaturus faciet qui judicandus hoc fecit ? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit ?* Si vox *Ego sum*, velut fulmen prostravit integram cohortem : quid faciet illa vox : *Discedite a me maledicti in ignem æternum*. Videat igitur unusquisque quomodo se obarmet contra fulmen istud, dum armandi se tempus habet